



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 88. Funestus confictæ conjurationis Anglicæ Successius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Sæc. XVII. *ad Romanam Ecclesiam transferit: Ergo*
A. C. 1678. minus efficaces erant Claudii rationes,
 quibus tamen ante colloquium Dura-
 siam in sua secta firmare nitebatur: su-
 perflua autem fuere Episcopi blandi-
 menta, si Durasia jam diu ante ad Roma-
 nam Ecclesiam redire decreverat: Tan-
 dem Bossuetio, & simul cunctis Catho-
 licis vitio dederunt, quod more solito
contra Judicem Spiritum sanctum in Scri-
pturis loquentem disputarit, extra Dei Ver-
bum fidem Christianismi quæserit, pri-
 mumque ac ultimum Religionis articulum
statuerit: Credo in unam, Sanctam, Ro-
manam Ecclesiam: Plane usque in hanc
 diem Catholici ignorant Ecclesiam,
 quæ contra Spiritum sanctum &c. pro-
 pugnata fuerit, credunt omnes in
 unam, sanctam, Romanam Ecclesiam,
 quam talem esse, Spiritus Sanctus in
 S. literis loquens, revelavit, non au-
 tem spiritus privatus propria ceu ulor-
 pata auctoritate ad genium suum Sa-
 cras literas contorquens. Nempe de-
 speratis, miserisque solemne est, ex in-
 famia aliis impacta propriæ infamie
 levamen quærere.

§. LXXXVIII.

Funestus confictæ conjurationis An-
glicæ successus.

Inte-

Interim Oates & Tongius omnium bipedum nequissimi, postquam mendacissimæ suæ conjurationis commento ultimam manum admovent, primas eo curas intendebant, ut Carolo II. Angliæ Regi conceptam fabulam manifestare possent: opportune Tongius in Kirkbyum Chimistam inciderat, qui die vigesima tertia Augusti Regem admonuit, Virum adesse, qui conjurationem contra Regiam suam Majestatem detegere vellet: Obstupuit primo Rex, mox tamen sibi redditus, Tongium, ut vespere hora octava Witheham ad Regium Palatium veniret, iussit. Hic ergo scriptum quoddam quadraginta tres conjurationis articulos complectens, Regi tradidit, qui ad hanc chartam vix oculum conjicere dignatus, Tongio præcepit, ut altera die hoc scriptum Danbyo Comiti Regii thesauri Præfecto traderet. Huic autem Tongium interroganti, an hoc scriptum sit autographum, scelestus ille improvido mendacio respondit, nonnisi antigraphum esse se incio in domum suam projectum; evolutis aliquot diebus denuo unacum Oate Comitem adiit, referens, sibi scripti adhuc amplioris Auctorem esse cognitum, cum autem in novo hoc scripto Williamus & Pickeringus tanquam Regis Sicarii fuissent

Sæc. XVII.

A. C. 1678.

*Conspirat.**d' Angl.**p. 370.**Rapin Thoi-**ras Hist. 1**d' Angl. t. 10.**in lib. 23.**pag. 390.*

U 2

nomi-

Sæc. XVII.

A. C. 1678

nominati, Comes, utrum utriusque
 ædes sibi cognitæ essent. sciscitabatur,
 id vero, se nescire, respondente Oate,
 Cancellarius Regem de Tongii relatione
 certiore reddidit. Hic vero nonnulli
 male confutas latere calumnias probe
 prospiciens, hosce accusatos custodi
 dari prohibuit, ac Comiti injunxit, ut
 nemini, nequidem Eboracensi Duci
 quicquam hac de re manifestaret. In
 dignabantur Tongius & Oates nondum
 cruentam, quam adornabant, scænam
 aperiri: quocirca Tongius per Comi
 tem Regi significabat, quod nunc non
 modo utriusque sicarii domicilium ex
 plorasset, sed insuper sibi constaret,
 quosdam intra biduum Vindeforiam
 ad exequendam Regis necem profes
 cturos: sexto autem post die rursus
 mendax hic calumniator Regi exposuit,
 horum iter ob unius equi infirmitatem
 fuisse præpeditum: Ex tot male con
 sarcinatis mendacijs Rex haud obscure
 totius relationis falsitatem cognoverat,
 quocirca severe inhibuit, ne ex Sen
 toribus cuipiam ea res manifestaretur,
 ne inde nonnulli fors nunquam talia
 cogitaturi, Regem trucidandi animum
 captarent: cum ergo ambo hi fraudem
 Architecti sua mendacia, quæ tam
 quam veritatis oracula ac patrii Zel
 idola adorari sperabant, pensi haberi
 cer-

cernerent, evoluto triduo (spatio sat ^{Sæc. XVII.}
 amplo ad excoquendam novam frau- ^{A. C. 1678.}
 dulentiam) literas confinxere, perinde
 ac si eas Jesuitæ ad Beddingfieldum Sa-
 cerdotem Eboracensis Ducis Confessa-
 rium Vindeforiam mittere parassent:
 Harum literarum fasciculum præfatus
 Sacerdos ad Ducem detulit, addens
timeo, ne in suæ Majestatis perniciem hæc
literæ sint confictæ: quapropter Dux hunc
 fasciculum ab ipso Parlamento aperiri,
 etiam invito Rege tam vehementer in-
 stitit, ut tandem Rex Ducis petito an-
 nueret, de earum falsitate aliunde per-
 suasus; cum enim Eboracensis Dux imo
 ipsemet Rex, ejus Conjux, necnon Hi-
 spaniæ & Franciæ Reges in horum
 calumniatorum scriptis tanquam conju-
 rationis Authores accusarentur, Rex
 propriæ conscientiæ testimonio tutus
 prudenter censuit, quod Eboracensis
 quoque Dux ejus Frater, si conjuratio-
 nis reus foret, toto studio hæc lite-
 ras occultaturus fuisset, nec eas Se-
 natui examinandas ipsemet tradidisset.
 Insuper Oates inter alia mendacio sibi fa-
 tis infausto asseruit, se apud Patrem Mar-
 cum Prestonum Jesuitam peccatorum
 fordes expiasse cum tamen idem Marcus
 jurato plurimorum testimonio comproba-
 tum redderet, quod nequidem trigesimum
 tertium ætatis suæ annum attigisset;

Sæc. XVII. ac nunquam Sacris initiatus fuisset, sed
A. C. 1678. jam per sexdecim annos legitimo con-
 nubio frueretur. Quamprimum igitur
 fama de conficta hac conjuratione ur-
 bem pervaserat, mox omnes probi, æ-
 quitatisque amantes palam profiteban-
 tur, quod hæc accusatio aut inanis sit
 chymera in Oatis cerebro excogitata,
 aut immoderatum Regiæ securitatis
 studium præseferat: potissimi autem
 censebant Oatem ad tantum scelus fuisse
 impulsam ex vindicta & odio in Jesui-
 tas, a quibus erat dimissus, necnon
 in Sacerdotes & Catholicos, qui eidem
 in suis miseriis validam opem non præ-
 stiterant, ac denique in quemdam Be-
 nedictinum, qui Regiæ Eleemosyna-
 rius Oatem minus liberaliter habuit:
 alii tamen inconsulto odii impetu ab-
 repta, Oatis commentum novis menda-
 ciis fulcire nitebantur, horum non-
 nulli in vulgus spargebant, quod Ca-
 tholicus quidam miles Hibernus mu-
 rum Aulæ, in qua Rex pila ludebat,
 perforarit, ut illum sclopo trajicere
 posset: verum id falsissimum fuisse con-
 stitit. Insuper die decima quarta Apri-
 lis Oates scriptotenus detulit, quod
 quadraginta Jesuitæ in quadam Popina
 Regem vel pugione vel veneno per ejus
 Medicum propinando trucidandum esse
 decrevissent: ubi vero in accusationis
 veri-

veritatem fuerat inquisitum, omnia Sæc. XVII.
 falsissima esse, compertum est. Magis A. C. 1678.
 adhuc luculenter hujus fabulæ falsita-
 tem detexit infanum illud effugium,
 quo Catholicorum hostes manifestam
 contradictionem de Rege simul con-
 spirationis Authore, & cruenta con-
 juratorum victima conciliare niteban-
 tur, asserentes, quod Rex conjuratis,
 qui regimen Angliæ Politicum inver-
 tere, & stabilita fide Catholica Prote-
 stantium religionem eliminare intende-
 rant, consensisset, imo conjurationis
 Author exstitisset, non autem assensum
 in sui necem conspirantibus præbuisset:
 Forte conjurati Carolo Regi securitatis
 literas tamdiu valituras dederunt, do-
 nec ipsi prima duo conjurationis capita
 plene ad exitum deduxissent: Mentita
 est iniquitas sibi.

§. LXXXIX.

Iniquissimum hujus causæ Judicium.

Quantumcunque hæc conjuratio in-
 sana, & ad oculum falsa fuisset,
 atque ab omnibus Anglis ab odii & ultio-
 nis cupidine alienis tanquam conficta
 haberetur, nihilominus utriusque Cu-
 riæ Senatores hisce commentis fidem
 adhibuerunt, vel saltem adhibere si-
 mularunt; nimis enim opportuna eis

Calmet Hist. Univ. t. 17. lib. 156. Jæger Hist. Eccl. l. 8. c. 4. Conspirat. d' Angl. pag. 323.